DE ANATOMES COMPARATAE NON SECUS AC VETERINARIAE ARTIS IN...

Emilio Dal Lago

DE

ANATOMES COMPARATAE

NON SECUS AC

VETERINARIAE ARTIS

IN MEDICINA COLENDA EXERCENDAQUE

UTILITATE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

Ad Medicinae Lauream Assequendam

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

offert

AEMILIUS DAL LAGO

VICENTINUS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXXVI

Carissime Pater

H*unc quem tibi, dulcissime Pater, offero et consecro, curae, et amoris tui, meorumque peractorum studiorum fructum benigne accipias.*

Hoc primum opus est tibi promeritum, quanquam exiguum et rude, cum tu plurimum meo primo labori indul-

geas, et tantum grati animi conatus, mentemque optime meriti filii respicere gaudeas.

Gratissimus Filius

INTRODUCTIO

Partium humani corporis usus, et structura intima, Professores sapientissimi, Commilitones optimi, nisi ad illa quae in diversis animalium speciebus simul contingunt respiciatur, vix unquam ab Anatomicis, et Physiologis cognoscuntur. Hac in sententia mecum sentire gaudeo *Bacconem de Verulamio*, qui breviter perpensus quot, et quam maximi momenti emolumenta Humana Anatomia, et Physiologia ex Anatomiae Comparatae, et Veterinariae studio acquisiarat sic effabatur. « *Ut Anatomiam in hoc genere Comparatam cur non licebit et ipsos morbosos effectus considerare*? » Quod dictum mihi firmiter persuadeo de Pathologiae quoque studio, eo ut quidquid ex partium morbosarum, vel laesarum, in diversis animalibus observatione,

et perlustratione cadaverum cognoscitur, quamplurimum in Humanam Pathologiam fidem sibi vindicet. Nam si ad intelligendam morbi lethalis naturam plura animalium cadavara incidere nunquam omittatur, non pauca oculis nostris oblata fuerint, quae morborum humanorum sedes, causas, et effectus accuratius explicarent, quaequa tum Pathologiam animalem cum humana a Medicis conjungendi necessitatem, tum Artis Veterinariae summam in utriusque Medicinae studio utilitatem ostenderent. Quod si certum indubitatumque est, non minora etiam emolumenta, et progressus Therapia ax hoc studio haurire posse arbitror. Cum apud homines multa remediorum subministratorum aut virtus, aut inefficacia ex ipsa aegrotantis imaginatione dependens, in animalibus locum habere nequeat, sic longe certius quam in humano corpore de vera medicamentorum indole, habita tamen semper differentiae quae hominem, et animalia intercedit ratione, judicium ferre datum est. Item vero non desunt casus in Arte Veterinaria feliciores, quibus, ubi eos quicumque Medicus observator

vel Chirurgus oculo prosequi vallet, animet ipsius expectationem davictam esse cognoscat. Licet enim major humani corporis sensibilitas rudiorem partium tractationem, quam bestiae sat bene perferunt, admittere vix posse videatur; est tamen virium naturae similis in omni animali machina conspiratio, nec earundem limites, nisi felici experimento cognoscimus. Quod a me dictum, et assertum exacte convenit cum illis, quae in celeb. *Trino Bottani* legi possunt: « Egli è » dovere non solo di tutti i Medici Chirurghi, ed » abili Veterinarii, ma di ogni altro buon citta- » dino di occuparsi dei mezzi più convenienti » per preservare gli animali Domestici, e parti- » colarmente quelli che servono all'agricoltura, » che in tante, e varie guise contribuiscono alla » nostra esistenza, ed al nostro ben essere. » His breviter enuntiatis, cum hodierna die aliquid mei productum in lucem proferre debeam, et, ad medicinae lauream in hoc Vetustissimo Archigymnasio Patavino consequendam, typis committere, optimum mihi visum fuit nonnulla facta colligere et recensere, per quae Anatomiae Compa-

vatae, et Veterinariae studium apud nos laudem, et attentionem sibi vindicet. Atque in hoc tentamine, meis viribus forsan impari, ea ducor spe, ut ii omnes, quorum sub oculis dissertatiuncula mea veniet, utpote scientia pariter ac humanitate praediti, conatus qualescumque meos benigne excipere et judicare velint.

Perlegenti mihi nonnullorum scriptorum Medicinae historias haud difficile videtur dijudicare humanam Anatomiam, Physiologiam, Pathologiam, Therapiamque Medicam a brutorum Anatomiae, et Veterinariae studio suam sumpsisse originem. Asserit enim Celeb. *De Buffon* (1), quod incomprensibilis adhuc futura foret humana organisatio, si animalia non existerent. Et cum illo *Le-Roi* « Animalium Anatomiam primordialia rudimenta posuisse Anatomiae Humanae et Medicinae, tum cum homines in animalibus quaererent quod in hominibus ipsis observaturi, et investigaturi erant ». Sic et Egregius Professor nostrae Anatomiae et Veterinariae docet: Nonnullorum organorum texturam, plurimarum partium corporis humani, teste Boerhaave, Morgagni, et Haller, ex hoc Anatomiae Comparatae studio detectam et illustratam, ipsosque earum motus et usus in brutis primum indagatos atque observatos fuisse. Ex sententia vero Plinii, et Galeni sedula pa-

(1) Histoire naturelle universelle, et particuliere Tom. IV. pagina. 250.

riter animalium observatio, experimentaque in iis tum sanis tum aegrotantibus instituta Pathologiae et therapiae humanae progressibus quam plurimum contulerunt. « *Veterinaria Medicina formaliter una eademque cum nobiliore hominis Medicina adest*». Item mihi occurrit observare (1). « Et in celeb. A. V. Haller. *Neque hanc humiliorem artis medendi partem ab humana medicina undique separaveris, cujus artis principia fere eadem sint, cum nostris Chirurgicae curationes etiam similiores*(2)». Quare cum antiquiores traditiones et notiones extent de Animalium Anatomia, eorumque medendi ratione, haud dubium est in primis testibus enunciatis summae auctoritatis et dignitatis viris: *studium Anatomiae Comparatae jamdiu humanam medicinam praecessisse*, atque hanc ab illo *et praecepta, et cognitiones hausisse*; quibus in posterum per summae doctrinae diligentiaeque viros ad illum perfectionis gradum evecta fuit, jam per tot saecula desideratum optatumque. Hoc igitur in primis exordium et emolumentum ab Anatomiae animalis studio consecutam fuisse Medicinam, quam facile comprobari potest, ubi paululum perpendamus, prima rudimenta et incrementa artis medendi, a necessitate

(1) In Philip. Ingrassias.
(2) Bibl. Chirurg. Tom. I. pag. 99.

exorta fuisse. Siquidem homines ad suum perficiendum statum vivendique modum continuo excitati, laevamen, et auxilium quaerere in rebus externis, et praecipue ex animalibus, quibnscum propiori faciliorique jungnntur commercio, repetere cogebantur. Et revera. Non ne ut vegetabilium, sic animalium usus ad vitam populorum, generatim loquendo, sustendandam summopere necessarius? Non ne bruta humano generi subveniunt, ubi non modo saluberrimos magisque nutrientes cibos, verum etiam opportuniores suppeditant vestes? Non ne plerisque in laboribus, et curis nobis adjumento sunt, et fidissimi socii? Non ne denique honestis nostrum voluptatibus optime inserviunt? Verum si hominibus utiliora magisque necessaria animalia subjicere ac dominari summopere facile fuit, arduum, et maxime difficile erat omnia cognoscere, et praevidere quae animalibus ipsis magis convenirent, quaeque eorum incolumitati, diuturnitati, et conservationi faverent. In captivitate enim redacta animalia, et laboribus insuetis afflicta, alimentisque fortasse ipsorum organisationi minus congruis enutrita, ingenti morborum congerie saepe saepius conflictabantur, et ad celerrimam immaturamque necem tendere haud raro conspiciebantur. Quare angebatur hominibus animus, quia tanti grassantis mali damna impediendi infirmandique certam firmamque rationem non inveniret. Tota itaque

mante, totisque viribus contendebant, ut sanitas brutorum incorrupta maneret, et aegritudo quae ex casu vel negligentia, sive labore contraheretur, congrnis medicaminibus curaretur; et hinc methodi animalia alendi, conservandi, et sanandi dignoscerentur.

Ratus interim Homo hoc in suo proposito, tum experientias, tum observationes diversis in animalium speciebus repetitis vicibus instituebat, eo ut inter breve temporis spatium Armenta diversa tum Boum, tum Equorum, tum Camelorum, tum Elephantorum, tum Pecudum possidere valeret, ex quibus immo si fides habenda est *Isidoro Peculium apud antiquos diceretur a pecudibus in quibus eorum universa consistebat substantia. Unde et pecuarius vel pecuniosus dicitur qui est dives.* Sicuti veco *horum armentorum incolumitas lucrum habebat, sic interitus maximum afferebat damnum et incommodum* ait (*Vegetius*). Ideo in cadaveribus animalium tum enecatorum, tum vi morbi peremtorum (quod maximi momenti erat) causas inquirere, et qualescumque alterationes adnotare, et considerare oportebat; ut comparatae quae inter viscera sana, et male affecta diversitates in primis innotescerent, dein quo morbo laborarent; postremo, et quibus rationibus, et qualia medicamina essent profutura judicarentur.

Hoc modo igitur sectiones animalium ab ho-

minibus suscipiebantur, et in primis solida, et fluida quibus animal componitur illis sese manifestarunt: hinc et quae hucusque latebant diversae qualitates, et quantitates fluidorum per vasa diversimode instructa decurrentium: hinc et solidorum nonnullorum irritabilitas, durities, elasticitas, contractilitas manifestabantur: hinc et diversorum viscerum compositio et textura, quae ad formationem solidarum partium, vel fluidorum ipsorum praeparandorum inserviunt: hinc et leges digestionis, chymificationis, chylificationis, sanguificationis, leges motuum et sensuum organicorum oriebantur: uno verbo, iis innixi observationibus, prima Anatomiae et Physiologiae fundamenta superstruere valebant, adeo ut hisce principiis et ideis Philosophi Medici, et omnes qui ad naturam corporum vitalium cognoscendam eorumque actiones investigandas in posterum se dicarent, tum analytice, tum syntetice possent singulas decomponere, et mutuas quibus reguntur leges exacte cognoscere, et determinare; specificam, et relativam ipsorum corporum organisationem, et vitalitatem comprehendere et statuere; hinc et quot modis aegrotare possunt, et quibus dein innumeris perturbationibus afficiantur accuratae explicare. Verum quod res ita sese habuerit, cunctae praeteritorum temporum Historiae testimonia perhibent jam ab initio Mundi, cum de Medicina habita-

torum Cbinae, Indiorum, Aegyptiorum, Caldeorum, Phoeniciorum et Graecorum verba faciant. Ast ne plura dicam solummodo mihi sufficiat nonnullos referre Medicinae progressos ex Anatomia Comparata depromptos, illis temporibus, quae magis fortasse studiorum curriculo, culturae et eruditioni favebant.

Hippocrates verae Medicinae pater vocatus, ex familia Asclepiadum ante Erae nostrae annum 460 natus, maximam partem in hoc Anatomiae Comparatae studio provebendo et illustrando sibi acquirit.

Ars enim medendi tum in templis Aesculapii, Epidauri, Pergami, Gnidi sacerdotibus discenda committebatur, ideoque sicuti turpe, et irreligiosum apud illos habebatur humana cadavera incidere, et cultro deturpare, virtutemque remediorum experire; nam in hoc genere fere cuncta erroribus, signis, et oraculis superstruebantur, et edocebantur. Praeterea et summopere periculosum et difficile esset uno ictu destruere quod bonum optimumque ex majori parte baberetur. Iste ingeniosissimus et maxima pollenti sagacitate Philosophus et Medicus studio Zootomiae se dicavit, quo potuit producta et facta in animalibus usque tum inventa, et tentata observatione, et experientia temporum praeteritorum, in lucem revocare, naturam cum suis productis investigare, corporum organicorum compositionem

accuratiori analysi subjicere, nonnullasque doctrinas hypotheticas destruere, incertasque theorias corrigere, denique et superstitiosas disciplinas sensim sensimque depellere, hinc et vera Medicinae rationalis principia edocere et suppeditare. Post illum multi (1) essent hic referendi, qui juxta illius sententias et doctrinas, primum ab ipso signatum iter in Zootomicis observationibus et perlustrationibus sequuti sunt, quique diversa remediorum praescribendorum in animalibus tentamina instituere ausi sunt, et in rationibus diaeteticis praescribendis, et signandis, quae unicuique animalium speciei valde convenirent, sese occuparunt.

Aristoteles observando et comparando varietates intestinorum diversorum animalium, deprompsit, unam alteramve eorum speciem tum granorum, tum carnium vesci debere; quatuor ventricula in Rumiuantibus adesse vidit, eo quod herbis nutriebantur: notavitque abesse in equis cystifelleam, in volatilibus Diaphragma, Oesophagus in piscibus, deditque nomen arteriae Aortae, cum insuper nobis quamplurimas de organis genitalibus observationes reliquisset, quippe qui, si credimus Diogeni Laertio, libros quatuor conscripsit, de differentiis inter hominis organisationem et brutorum, per quas

(1) Linus, Orpheus, Musaeus, Esiodus.

doctrinas altiorem gradum perfectionis Anatomia Comparata, et Medicina attinxit.

Theophrastus, pariter Herophylus, et Erasistratus plurima in hac investigatione adnotarunt; satis sit de postremo, sive Erasistrato commemorare, quod venas ab arteriis distinxerit, et vasa lactifera mesenterii in capreolis primus detexerit.

Quorum quidem vasorum praesentiam, ad tanti fere Detectoris honorem, clarissimus Anatomiae humanae Professor in hoc Archigymnasio, solerti cura, in eadem animalium specie demonstrare quotannis solebat.

Galenus, cui vetitum humana secare cadavera, sese in Anatomia Simiarum exercuit, inter quas similiores hominibus selexit, in iisque multa experimenta instituit, uterum bicornem invenit, explicavitque superfoetationis phaenomena. Indicia nobis pariter dedit magnae sanguinis circulationis, cum jam parva illi nota esset; ut legi potest (1). «*In sinistro cordis ventriculo duo orificia sunt per quorum minus cor est continuum venae pulmonari, per majus autem est continuum arteriae quae toto animali diffusa est. In dextero autem ventriculo totidem orificia sunt, per quorum alterum cor est continuum venae cavae quae sanguinem in ipsum cor intromittit, per alterum vero arteriae pulmo-*

(1) De usu partium lib VI. Cap. VIII.

nali quae ipsum in pulmonem deducit. Et dein paulo post (1) « *Valvulae semilunares ad ostium pulmonaris arteriae extant, et faciant ne sanguis a corde ejectus in cor repellatur, ex quo magnum sequeretur incommodum* »

Diversorum inde morborum symptomata varia optime descripsit, et hanc pathologiae partem quamplurimis observationibus, et illustrationibus locupletavit. Felicissimumque omnium sese appellavit cum potuisset duo humana scheletra observare, et omnes Alexandriae advocare qui ad Osteologiae studium incumbere voluissent.

Arveus qui non solum juxta notiones Galeni exactissimas doctrinas nobis proposuit de sanguinis magna et parva circulatione, verum etiam vires metiri et considerare valuit per quas sanguis e centro cordis ad partes periphaericas compellitur. Praeter quae nobis reliquit praecepta systematis vasorum sanguineorum quae ad nutritionem foetus in utero materno maxime pollent, foramen ovale detexit, ductumque arteriosum; formam placentae et suos cotyledones descripsit, exemplo ductus illarum praesertim mirae organisationis quae in juvencis observantur, quaeque oculis cultorum Artis obstetricae ab optimo nostro Professore offerri quotannis solent

Eustachius qui sub cultro anatomico tubas in

(1) Lib. VI. Cap. X.

Equis, a suo nomine Eustachianas appellatas, vidit, signavitque ipsarum iter a cavitate faucium usque in cavitatem prope membranam tympani, et canalem thoracicum in ipso animali invenit, et in simiis valvulam intestini Colon.

Vesalium et Falloppium quoque in animalibus ductus communicantes inter ovaria et uterum conspexisse haud dubium est.

Versungius Ductum Pancreaticum; Steno in vitulis et arietibus ostia, et canalem glandulae parotidis, et glandulae lacrymalis; Pecquet cisternam Chyli in canibus primi observaverunt, et vasa lymphatica a Bartholino repetitis observationibus illustrata fuerunt.

Heisterus commentaria diversa in lucem proferre ausus est de iis quae jam scripta erant a *Timeo* de animae existentia et Mundi, nec non de origine et conformatione corporum animalium, et hinc ad explicandas cholericas perturbationes a quibus animus deprehendebatur operam adhibuit; uti idem Heisterus a Platone deprompsit et refert: « *Cor venarum originem fontemque sanguinis per corpus omne impetus quodam manantis in stipatorum regione Dii suspendere voluerunt, quod non cognoscerent, et verum terribilium objectu trepidaturum, et ira saepius flagraturum, idque opus omne per ignem fore, hujus aestuo temperandi gratia pulmonum tegmen cordi adposuerunt mol-*

le primum, et exangue, deinde cavis extrinsecus fistulis spongi instar distinctum, ut spiritu potuque hausto cordis ardorem ejus modi respirationi et refrigerio tepefaceret, etc. Plura alia detecta, et observata, studii de quo agimus ope, brevitatis causa, praetermitto; quae legi possunt in Botallo, in Cesalpinio, in Baglivio, in Wartone, in Severino, in Glissone, in Hallero, in Malpighio, in Ruischio, in Willisio, in Bichatio etc. etc. Preterea quae ad opus faciunt, et legenda occurrunt in Cothenio (1), in Blummenbachio (2), in Spallanzanio(3), in Rolero (4), in Brunns(5), in Moreschio (6), in Bartolinio(7), in Comparetti (8), in Dzondio (9), in aliisque quamplurimis.

Sufficiat tamen unus Hallerus qui tot inventa, totque experimenta ex Zootomiae studio in unoquoque sui nondum morituri operis capite po-

(1) Sur la nécéssité d'une école vitérinaire etc dans l'histoire de l'Academie R. des sciences et belles lettres de Berlin Tom XXIV

(2) Specimen Physiologiae Comparatae inter animalia calidi et frigida sanguinis

(3) Prodromo di un opera da imprimersi sopra la riproduzione animale Modena 1768.

(4) Experiment. circa regenerationem ossium. Goetling 1786.

(5) Experiment. circa ligaturas nervorum in vivis animalibus inst. Goetling 1753

(6) Del vero e primario uso della Milsa nell'uomo, e in tutti gli animali vertebrati. Milano 1803.

(7) De Lacteis thoracis in homine et Brutis nuper observatis. Hafn 1652.

(8) Observ. Anatomicae de aure interna comparat. Patav. 1789

(9) Supplem. ad Anatom et Physiol Compar. Lips 1806.

fuit, meritoque a quibuscumque consulitur et admiratur.

Ruit itaque jam ridiculum illud praejudicium ex inani persuasione enatum, quod hac aetate non deceat Medicum in morbos inquirere animalium, et in Anatomiae Comparatae studio versari, si virorum quorum mentionem feci auctoritatem spectaverimus, et inseparabile, immo necessarium hujus artis Zootomicae cum arte Medica nexum dignoscere voluerimus; praesertim cum plures etiam morbi generi humano communes animalia afficiant, et, quod maxime interest, nonnulli morbi Epizootici qui hucusque oculos diligentiores curasque accuratiores observatoris, et medentis effugerunt, saevissimis epidemiis ansam praebeant, in easque, ut ita dicam, fere commutentur. Praetereundum siquidem non est experientiam saeculorum docuisse, Epidemicas animalium strages non raro pestilentium apud ipsos homines morborum praecursores fuisse, et causas malorum generales primum in bestias, et tandem in ipsas hominum societates effectus deleterios exseruisse. Mihi enim sermo esset de illis atrocissimis Epizootiis quae, proh dolor! saepe saepius undique grassari, et terras integras depopulari visae fuere, saevissimisque Epidemiis originem dederunt, quemadmodum ex descriptione plurium horum morborum contagiosae indolis luculenter constat.

De his loquitur Ovidius illis versibus:

« Strage canum prima volucrumque, oviumque, boumque
« Inquae feris subiti deprehensa potentia morbi
« Concidere infelix validos miratur arator
« Inter opus tauros medioque recumbere sulco
Et dein . . . .
Inque ipsos saeva medentes
Erumpit clades.

Item Homerus in lib. Iliad. Italica versione publici juris facta a nostro Cesarotti:

« Questa pria ferì i mali, e i can veloci.
« Indi prese a scagliar mortali dardi
« Contro gli uomini stessi, e in ogni parte
« De' cadaveri estinti ardeano i roghi.

Eodem modo cecinit Silius Italicus

« Vim primi sensere canes, mox nubibus atris
« Fluxit deficiens penna labente volucris:
« Inde ferae silvis sterni: mox serpere labes
« Tartarea, atque haustis populari castra maniplis

Et sequitur inde hujus morbis descriptio

« Arebat lingua, et gelidus per viscera sudor
« Corpore manabat tremulo: descendere fauces
« Abnuerant siccae visorum alimenta ciborum:
« Aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela
« Igneus efflatur sitienter spiritus ora.
« Lumina ferre gravem vix sufficientia lucem,
« Unca nare jacent, saniesque immixta cruore
« Exspuitur, membrisque cutis tegit ossa peresis.

Postea vero invenio in Tito Livio

Pestilentia quae priore anno in boves ingruerat, et verterat in hominum morbos.

Verum cum non possem hoc loco omnium temporum varias morbi Epizootici in epidemias commutati historias referre, nam et in ipso Esodo mihi occurrit perlegere: « *Erunt in hominibus, et jumentis ulcera et vesicae turgentes; factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis* » dicam solum hasce exactissimas et luculentissimas descriptiones extare praesertim de morbis Epizooticis In Tucidide a Lucretio relat. sub fine sui poematis. In Tito Livio, (1) in Fracastoro (2), in Ramazzini (3), in Laucisi (4), in Camper (5), in Tode (6), in Vicq d'Azir (7), in Adami (8), in Michael Rosa (9), in Moscati (10), In Bourgelat (11), in Valli (12), in

(1) Lib VI Cap. XXX.

(2) De sympath. et antipath. de contag et contagiosis morbis eorumque curatione. Venetiis 1546.

(3) Constitutio Epidemica Mutinensis annis 1690, 91, 92, 93, 94, Mutinae 1695.

(4) Dissertatio Historica de Bovila peste Romae 1715.

(5) Vorlesungen uber das häufige Viehsterben aus dem Holland von I c. Lange Koppenhagen. 1771.

(6) Geschichte der Einimpfunf der Hornviehseuche in Daenemarck Koppenhagen, 1776.

(7) Précis historique de la maladie Epizootique. 1779.

(8) Beytraege zur Geschichte der Viehseuche. Wien 1781

(9) De epidemicis et contagiosis 1788

(10) Compendio di cognizioni veterinarie per Medici e Chirurghi nei casi di Epizoozie 1795

(11) Mémoires sur les maladies Epidemiques de bestiaux.

(12) Della peste di Costantinopoli del 1803. Mantova 1806

Pozzi (1), in Baldinger (2), in Kausch (3), in Malacarne (4), in Veith (5), in Michelotti, Vauolesnieri, Morandi, Poulet, quorum ultimus nonaginta duo Epizootias descripsit, quarum una et viginti communes hominibus et bestiis fuere; in Boniva Taurinensi Professore qui viginti Epizootiarum historias dedit, quarum octo item animalia et homines aggressae sunt; in Bottani qui adeo bene conscripsit omnes Epizootias quae grassatae sunt per totam Europam et praesertim per Dominium Venetorum etc.; in aliisque quampluribus qui huic studio maxima cum diligentia operam navarunt. Nihilominus licet tot conatus, tantaeque curae a viris summa laude dignissimis ad hosce morbos Epizooticos cognoscendos, et curandos impenderentur, nonne adhuc eorum natura densissimis obruitur tenebris, eorumque sese propagandi modus et facultas ignoratur? De hac veritate certe mecum sentiunt Gallia, Italia, Germania, Anglia aliaeque Europae partes quae tot, et tantae celebritatis Anatomiae Comparatae, et Veterinariae Instituta sub fine saeculi prae-

(1) Della epizoozie dei bovi, e delle pecore, e dei porci. Milano 1812.

(2) Therapie oder practisches Heilverfahren bey den Kranheiten der groesseern Hausthiere. Wien

(3) Geschichte der inderpest in Schlesien in Herbst in dessem Memorabilien etc. I. Bande.

(4) Ragionamento della peste de buoi Padova 1816

(5) Handbuch der Veterinaerkunde. Wien. 1818. edit. nova 1822

terlapsi erexerunt, postquam per duas vices ob saevitiem morborum Epizooticorum depopulatos eorum agros conspexerint, prima vice anno 1711 per octo annorum curriculum, secunda vice anno 1740 per decem annos; per quas Epizootias cuncta Europa fere suorum armentorum dimidiam partem amisit, cum maxima hominum caede, et damno prosperitatis nationalis. Certe qui cautum et in singula attentum morborum in diversis animalium speciebus observatorem egerit, is vel imminentem ex iisdem causis, vel etiam ex ipsorum usu, favente tempestate et temporum constitutione, noxam patriae orituram praevidebit et avertet: vel naturam morbi Epidemici clarius agnoscet, et ex ipso nonnumquam remediorum apud animalia successu, ad perfectiorem pro ipso homine liberando methodum concludet. Quare igitur studio Anatomiae Comparatae et Veterinariae etiam hoc respectu animalibus consulendo, humani generis saluti consulitur. Si vero Anatomiae Comparatae et Veterinariae assidua cura humanae Anatomiae et Medicinae utilitates et progressus quam maxime promovet, tum plurimis suis observationibus, detectis, et perfectis, tum causas permultas morborum detegendo, docendoque rationem quae ad morbos ipsos vel praecavendos vel amovendos maxime confert; ideoque maxima pro parte ex solertia in hoc studio impensa tum animalium quam ho-

minam salus tuetur. Ea ratione pariter sicuti alimenta pro magna parte ex animalibus depromuntur, scilicet et homines praecipuum ex animalium carnibus nutrimentum habent, ita ex usu carnis malae notae homines multis affectionibus morbosis vexari possunt. Ubi Venetiis gravis et lethalis Dysenteria grassata fuit anno 1595 ex usu carnium boum, qui a Carinthia et Stiria eo tempore proficiscebantur, morbo epizootico earum regionum animalia conflictabantur. Supremus Venetiarum ad salutem tuendam Magistratus poenas pecuniarias mortemque ipsam in mactatores decrevit, et illico morbus cessavit in urbe. Medicis itaque publicis etiam maxime interest morbos nosse Brutorum, cum non solum de morbis epidemicis, sed et de morbis epizooticis grassantibus ab Auctoritatibus interrogati, optimam iis occurrendi methodum indagare et docere debeant.

Quemadmodum vero domesticorum animalium morbi, rectaque eorumdem curandorum ratio objectum sistunt Medicorum attentione dignissimum, sic et operationes chirurgicae Veterinariae apud Chirurgos non minoris dignitatis esse possunt. Certe quae hydrocephali apud vitulos bovesque per calvariae perforationem curandi exempla prostant, licet hucusque non nisi paucissimis apud hominem casibus confirmata. Quae ab Hippocrate in ipsis hominibus co-

mendatur operatio, iis verbis « *Aqua si in cerebro suborta fuerit, ita tamen ut in adulto secus sano contingat, adhibitis medicamentis si non sanetur, caput ad cerebrum ipsum perforandum est.* (1) Quae in iisdem animalibus a flatulentis vegetabilibus nimia copia ingurgitatis pericula, audaci abdominis, atque ipsius adeo ventriculi punctura avertuntur, ea, spem in nobis aliquam erigere possunt in desperatis hominum, sub iisdem circumstantiis constitutorum positionibus, ancepa nunc visum remedium cum majori felicitate aliquando, ubi nullum aliud jam esse fatemur, posse tentari. Suscepta interim bis fuit in homine haec abdominis tympanitici punctio a Cl. Dusseau (2). Praeterea non ne calculi urinales saepissime et in vesica, praesertim, et in uretra boum conspiciuntur? Non ne ischuria et dysuria in animalibus frequens est? Prolapsus uteri, intestini recti, herniae; omnium specierum tumores in brutis quoque observati fuerunt, et curati. Nonne operatio oesophagotomiae, hysterotomiae, paracentesis, castrationis, et ossium fracturae reductionis in bestiis quoque instituitur?

Certe nemini dubium esse potest omni tempore extitisse summae dignitatis et auctoritatis viros, qui notiones et disciplinas hasce nobis,

(1) Lib. II, de morb. Ent. Foes Tom. I pag. 466

(2) Vid. journal. de Médec. anné 1779 pag. 508

transmiserunt, medicinamque jumentorum nosse non erubescendum et vile crediderunt ut Joann. Conr. Henneman asserit, quod « *et principibus majestatis splendore ornatis gratam fuisse atque acceptam* ». Sublata interim omnis de Anatomiae comparatae et Veterinariae praestantia, et dignitate dubitatio, unicuique obviam venit, nos huic studio operam navando non solum progressionibus et emolumentis Humanae Anatomiae et Medicinae, verum etiam Patriae et cuncti orbis terrarum prosperitati et incolumitati prospicere. Verum non ne incrementum populorum et prosperitas nationalis ab agrorum cultura saepe saepius, ideoque animalium huic inservientium justa cura tota pendet? Praeterea commodorum utilitatumque ratio habeatur quas animalia, variorum generum et specierum, victum et amictum exhibendo, vitae commodiori et luxui inserviendo nobis comparant.

Hisce breviter pensitatis non dubito, omnes, non dicam Anatomiae Comparatae et Veterinariae sectatores, verum etiam medicinae cultores, et Agricolas (sub auspiciis Clement. nostri Principis qui ad hoc studium magis magisque provehendum et colendum operam dat) in posterum totis viribus totaque diligentia eniti ne de ipsis dicatur quod olim Cato:

« Male agi cum Domino, quem villicus doceat » vel quod Columella « ecquis futurum vero Me-

dicum Veterinarium docebit, si nullus professor adest ». Vel quod alius Auctor (1).

» L' art. Vétérinaire est aujourd' huy dans » l'abjection. Tout ce, que des Philosophes et » des Médecins que l' antiquité respectait, et » qui n' ont pas dedaigné de s 'en occuper nous » ont transmis des connoissances sur cette ma» tiere est en quelque façon oublié. On ne lit » plus Varron, Columelle, Dioscoride, Démocri» tè, Rasis, Avicenne etc. Pas meme dans le » compilateurs tels que Gesner et Aldrovande; » et si Aristotel et Pline sont encore quelque» fois consultes, il semble que ce n 'est que » pour accréditer les erreurs de l 'un et les fa» bles de l 'autre ».

(1) Auctor Programatis Gallico idiomate scripti et Lugduni anno 1763 publice propositi cui titulus
Art Veterinaire ou Medecine des animaux

THESES DEFENDENDAE

I

Quo perfectior est cerebri evolutio, quo major est illius relate ad nervos universos moles, et quo uberior medullaris substantiae ad corticalem est proportio, eo major in brutis observatur sagacitas ac docilitas.

II

Sicuti Animalia post hominem, ita Ars Veterinaria post Medicinam secunda est

III

Mulomedicinae doctrina ab arte Medica non adeo in multis discrepat, sed in multis plurimisque consentit.

IV.

Morbi Epizootici a Medicis et Veterinariis adhuc accuratius investigandi.

V.

Multi morbi generi humano communes et Animalibus; iisdem saepe aluntur causis, iisdemque remediis sanantur.

VI.

Brutorum morbi contagiosae indolis, nullo magis auxilio quam fuga et separatione vincuntur.

VII.

Non parum humanae saluti prospicit, qui scientiam Veterinariam colit medicus.

VIII.

Ne humanitatis jus intercidatur nova, et incertae virtutis remedia, in Animalibus prius experienda et tentanda.

IX.

Morbos Epizooticos praecavendo, humana quoque salus tuetur.

X.

Ossium fracturae in animalibus item ac in hominibus curari et sanari possunt.

XI.

Equus animalium nobilior. Bos utilior.

XII.

Priusquam homines, animalia aderant.

724